



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

TRACTATUS IV.
DE
RELIGIONE.
PRÆFATIO.



TRIBUS prioribus hujus nostre Tertiae Partis Tractatibus quâ potuimus breuitate, diuinâ gratiâ opitulante absolutis, restat quartus, qui est de Religione, cuius vis Catholico perutilis, & cuiilibet confessario summè necessarius; utpote qui ostendit, qualiter Deum, tamquam primum & supremum omnium principium, per orationem, votum, iuramentum aliosq; actus religiosos, tum externos, tum internos, in signum diuinæ excellentiæ nostraq; subiectionis assumptos, colere & sanctificare debeamus. Quæ materia est cuiusvis catholico summopere expetenda. Notitia quoque de precum, maximè canonicarum, recitatione, festorum celebratione, votorum ac iuramentorum emissionem & cessationem, tamquam de materia quotidie obvia, est confessariis scitu necessaria.

DISPUTATIO PRIMA.

De Virtute Religionis in Communi.

QUÆSTIO I.

Quid & Quotuplex sit Virtus Religionis?

1. Religio est virtus inclinans ad cultum Deo reddendum.



RELIGIO sic dicta, quod Deo nos adstringat & alliget, iuxta Lactantium lib. 4. diuinarum institutionum c. 28. est virtus inclinans ad exhibendum debitum cultum Deo, tamquam primo omnium principio. Est autem cultus species quædam honoris; utpote qui idem est, quod honor alteri cum animi submissione exhibitus: quam submissionem honor in genere non includit; ideoque in Deo, sanctos suos utique honorante, locum habet: cultus verò minimè. Debitus hic est Deo ob suam infinitam

Herinc Sum. Theol. Pars III.

excellentiâ, quam includit vel supponit ratio primi omnium principii; cum omnia producat, conseruet & gubernet infinitâ sapientiâ, voluntate & potentiâ suâ bonitatis. Cum itaque summè à Deo in esse & conservari, & quoad omnia bona, tam naturalia, quàm supernaturalia dependeamus: ratio postulat, ut nostrum nihilum ac seruitutem, ipsius verò excellentiâ signis protestemur, idque longè potius, quàm debeat id præstare subditus circa principem terrenum, oblatione tributi honorarii. Non tamen semper est debitum tale, ut, si non fiat, peccemus: cum etiam colamus Deum votis & oblationibus spontaneis: nec Deus ex quadam conuientia semper præcipiat ista sibi præstari. Jure tamen exigere potest. Præterea tanta est diuersitas de causis nostri erga Deum obligatio, ut numquam ad æqualitatem ei satisfacere possimus. Denique Deo

Tamquam primo omnium principio.

Cui omnia nostra multis titulis sunt debita.

V u nihil